

*calice hispido. Linn.* Character huius plantæ omnino Andryalæ est, nempe calix factus unico ordine squamarum, quibus aliæ minores adpresse nec patulæ ad basim adsident. Semina pappo sessili simplici coronata. Thalamus planus & villosus.

### HIERACIUM *Alpinum.*

In M. *Fendo* & *alla Monte.*

Vidi non semel caulem foliosum, non vero subnudum, nec semper uniflorum. Hoc in *Itin. Helvet.* egregie illustravit Ill. *Hallerus.*

### CREPIS ARENOSA.

Alle *Fosne*, infra *Cavalefium.*

Radix perennis, fusca, oblique descendens. Caulis modo simplex modo ramosus, hic uniflorus & multiflorus, ratione ætatis, idemque rigidus, striatus, foliosus. Folia ima elliptica, lanceolata, inæqualiter dentata, in petiolum decurrentia; caulina breviora, sessilia, pariter dentata, eiusdemque figuræ. Ex supremis alis prodeunt rami sæpius biflori & foliosi, terminali flore longiores. Calix fit squamis lanceolatis, inæqualibus, (5 - 6) lineas longis, quibus ad basim aliæ minores adiacent. Semiflosculi flavi. Semen rufum, coronatum pappo rigido sessili simplici. Thalamus nudus. Tota planta rigido villo eo magis hirta est, quo plus distat a radice.

Differt ab *Hieracio* binis ordinibus squamarum calicinarum.

A *Picri* & *Leontodone*, pappo simplici.

CIRSIVM *Britannicum*.

*Alla Monte di Predazzo.*

*Var. a)* Caule unifloro, foliis dentatis.

Hoc est *Cirsium Britannicum Clusii repens*.  
*I. Bauh. Cirsium II. Clusii, Cirsium singulari capitulo squamato. C. Bauh. & Cirsium foliis langissime lanceolatis, subtus tomentosis Hall.*  
 Planta sesquipedalis, foliis lanceolatis subtus tomentosissimis serratis: serraturis spicula terminatis; ex his quæ in unum locum occupant omnino petiolata sunt, superiora vero sessilia, amplexicaulia & subtus eo magis tomentosa, quæ a radice sunt remotiora. Summum ac tomentosum caulem terminat capitulum elegans, magnum, satore rubros flores sustinens. Idem, sine dubio est *Carduus foliis lanceolatis dentatis amplexicaulibus spinulis inæqualibus ciliatis, caule inermi III. Linnæi*; sed apud nos nec humanam altitudinem, nec folia radicalia amplexicaulia gerens.

*Var. b)* Caule multifloro, foliis inferioribus laciniatis.

Floret in eodem loco, eodemque tempore; caulem habet pariter striatum & fistulosum, folia ima laciniata, subtus densiore fomento